



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

9. Concilij Lugdunensis primi & secundi, SS. Thomæ Aquinatis,  
Bonaventuræ, & Augustini Triumphii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

ait, ne aliquid noceat: facies hominis, ne aliquid decipiat: facies vituli, ne vanitatis aliquid subripiat: facies Aquila, ne aliquid dubietatis remaneat, vel tarditatis prepediat. Regula veritatis tornavit rotas istas in circuitu, & orbe veritatis aeternae; tanta auctoritatis, ut nullius ditioni subiaceat: tanta maturitatis, ut nunquam vultum Deificum deponat; tanta certitudinis, ut nulla mutatio, aut vicissitudinis obumbratio in eam incurrat.

IX. Anno MCCXLV. Concilium Lugdunense primum, in quo flos Gallicani Sacerdotij, habitum est. Id verò Pontificum infallibilitatem insigni testimonio his verbis probavit: *Pro humani Redemptione Generis DEI Filius JESUS Christus, ne gregem sui pretio sanguinis redemptum post Resurrectionem ad Patrem absque Pastore desereret, ipsius curam B. Petro (ut suae stabilitate fidei ceteros in Christiana Religione firmaret, eorumque mentes ad salutis opera suae accenderet devotionis ardore) commisit.*

Anno MCCLXXIV. Convenit Concilium Lugdunense secundum, in quo iterum infallibilitas Pontificia egregie confirmata, sic enim Patres, quorum praecipua pars Galli, loquuntur: *Fideli ac devoti confessione profiteamur, quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre & Filio tanquam ex uno principio unica spiratione procedit. Hoc professus est, hactenus praedicavit & docuit, hoc firmiter tenet & praedicat sacrosancta Romana Ecclesia Mater omnium fidelium & Magistra.* In eodem Concilio recepta est à Patribus, communique assensu probata Professio fidei Orthodoxae à Graecis his verbis, quae infallibilitati manifestè suffragantur, expressa: *Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum & plenum Primatum & Principatum super Universam Ecclesiam Catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, sive Vertice, cuius Romanus Pontifex est successor cum potestatis plenitudine, recepisse veraciter, & humiliter recognoscit, & sicut praeter ceteris fidei veritatem tenetur defendere, sic & si qua de fide suborta fuerint quaestiones, suo debent iudicio desiniri.* Potuitne clariùs, majorique Gallorum consensu Infallibilitas Romana commendari? aut Concilium pateretur privilegium causas fidei decidendi se vidente ad Pontificem Romanum transferri, si crederet illud non Pontifici, sed Concilio datum esse?

Anno MCCLXXIV. Obijt S. Thomas Aquinas clarissimum totius Ecclesiae ac praesertim Galliae Lumen, atque à vitio adulandi longissimè remotus. Hic verò tam sanctus, tam magnus Doctor, & cui Gallia parem non habuit, Pontificiae infallibilitati omnium clarissimè

clarissimè & frequentissimè suffragatus est. Quodlibeto 10. a. 6. hæc habet: *Magis standum est sententiæ Papæ (ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert) quam quorumlibet sapientum in scripturis opinionum.* Et 2. 2. q. 1. a. 10. *Respondeo dicendum, ad illius auctoritatem pertinere editionem Symboli, ad cuius auctoritatem pertinet determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcusâ fide teneantur.* Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores & difficiliore Ecclesie causa referuntur, ut dicitur in Decreto distinctione 17. & hujus ratio est, quia una debet esse fides totius Ecclesie; quod servari non posset, nisi questio fidei de fide determinetur per eum, qui toti Ecclesie præest, ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur, & ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & alia omnia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam. Et 2. 2. q. 11. a. 2. ad 3. *Postquam autem essent aliqua Ecclesie auctoritate determinata, hæreticus esset, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, quæ quidem auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice, ut dicitur in causa 24. q. 1. Contra cuius auctoritatem, nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis Sanctorum Doctorum suam sententiam defendit.*

Eodem Anno MCCLXXIV. Obijt S. Bonaventura doctrinâ & sanctitate pari, ac Parisiensis Universitatis Doctor celeberrimus, qui hanc ipsam sententiam docuit de Pontificis Romani infallibilitate in Breviloquio, 6. parte, capite 3. & initio expositionis Regulæ S. Francisci easdem hoc argumento confirmat: *Quia alioquin Synagoga felicitior fuisset, quam Ecclesia, quia illa habebat unum Summum Pontificem, qui omnes discordias poterat terminare, ut patet ex Deuteronomio capite 17.* Floruit eodem tempore S. Augustinus Triumphus Parisiensis Universitatis Doctor ac Professor, qui pro eadem infallibilitate hæc habet de potestate Ecclesiastica. q. 10. *Si aliqua sunt dubia & obscura in fide, ad Papam pertinet interpretari, & determinare, post cuius determinationem hæreticum esse contrarium pertinaciter asserere.*

X. Anno MCCCLXXXVII. Petrus Alliacensis Gallus Doctor & Cancellarius Universitatis Parisiensis, ac postea Cardinalis & Episcopus Cameracensis, ac proinde doctrinâ Ecclesie Gallicanae apprime imbutus, non suo tantum, sed etiam Universitatis nomine Clementem VII. quem Gallia pro vero Pontifice agnoscebat, sic alloquitur: *Igitur pro vestris humillimis filijs Universitatis prædictæ, & pro nobis eorum nuntijs, qui suis in hac parte obsequimur mandatis, & documentis*